

dicendi formae variae sint, ac multiplices, quas Hermogenes, & alii Graeci rhetores *ideas* nominarunt; duo tamen praecipua dicendi genera vulgo existimantur: brevius unum, ac pressius; uberior alterum, magisque diffusum: optimum utrumque, quodque jure quodam suo magnos autores, atque etiam laudatores habeat. Utrum autem ex iis alteri preferre debeas, nullum certe in consilium adhibere, praeter temetipsum potes; ut scilicet, natura duce, quo genius rapit, eo propendeas, ne *invita*, quod ajunt, *Minervā*, hanc potius, quam illam dicendi rationem amplecti studeas. Id autem cum egregie calleret *Maurocenus*, licet brevem, & succī plenam orationem plurimum laudaret, uti aureum nummum eo pretiosiorem, quo argenteos plures repraesentat una exigua nota; naturali tamen quadam propensione, & longo studio quaesita facundia amplum potius, quam pressum dicendi genus consecutatus est, quod veluti magnum aliquod auri non signati pondus, eo jucundius, atque majoris pretii habetur, quo mole amplius: nec alia præstantioris boni nota insignior est, quam quod latius diffusum in plura emanet uberior. Liber ille vere aureus de *Oratore ad Brutum*; cui tantum *Maurocenus* ipse tribuere erat solitus, ut e manibus, aut e sinu vix unquam dimitteret; quaenam dicendi genera in usu, atque in pretio essent, quando præclarata illa lumina eloquentiae enitebant, Antonii, Crassi, Cottae, Caesares, Hortensii, atque Cicerones, exacte demonstrat. Quantum mutaverint tempora paulo post, cognoscitur ex iis, qui, Flavia gente orbi dominante, proximisque deinceps aetatibus superfunt autores; praecipue vero ex Historiis, & Annalibus Taciti, qui cum saecula multa in tenebris, ac situ perpetua quasi oblivione sepultus latuisset; hinc erutus nuper, quamvis & lacer, & mutilus, eruditorum nunc prope omnium studio excolitur. Avorum nostrorum memoria sensus aliis fuit, cum primum latinae literae, intermortuae jampridem, reviviscere coeperunt, atque ornari denuo; quod scripta multa doctorum hominum testantur. Est enim in oratione ipsa profecto, ut in rebus omnibus circuitus & veluti orbis quidam in idem recurrens, ut recidant in usum præsentem, atque revoacentur, quaecumque temporis intervallo fieri jam desierant. Cernimus hoc quotidie in tota hominum vita, in officiis, in moribus, in judiciis, ac legibus; nedum in habitu & cultu, & gestu, & sermonibus. Quae cum *Maurocenus* omnia egregie perpenderet, quamvis contractum, & pressum orationis genus hac nostra aetate perciperet probatus haberi; nihilominus alterum illud uberior, ac fusi, ad quod etiam sponte, ac natura lubens cerebatur, consulto prætulit: ea certe quasi præfigitione, futura tandem quae prius extiterant tempora, ut in condenda historia præstantissimi viri imitari constituant Livium potius, quam Tacitum, illum facundum quidem, ut constat, minus; addo etiam non magis prudentem. Haec igitur

c

de

---

ederetur, emendare, suasque notas adjicere animo agitasse. Testatur hoc idem *Lollinus* epistola ad *Pignorium*, pag. 291. „ De MAUROCENA HISTORIA pauca adjiciam, quam „ a te RECUDI non accurate minus, quam amanter, quid ni gaudeam, alienissimo tempore „ parentis linia destitutam? &c. „ Huic epistolæ cuni responderet *Pignorius* (exstat ejus epistola in ter *Lollinianas* pag. 292.) fatetur quidem *Mauroceni Historiam* in manus sumpsiisse; verum purgat se, quod suscepsum opus minime perfecit. „ Ad *Historiam*, quam innuis, AD „ NOTAVI mearum nescio quid ineptiarum; & malui incitiae notam subire, quam inoffi „ ciositatis. Universam ne perlustrarem, vetuit moles atlantea occupationum, quibus opprimor „ quaeque oppresso exprimunt ingenuorum studiorum & memoriam, & ipsum paeno nomen. „ (a) ut.